

I.

Georgius Curtius tristi nuper fato uniuersitati nostrae litterarum ereptus quae ante hos uiginti annos de duobus artis uocabulis Graecorum in actis societatis litterarum Saxonicae disseruit nunc in opusculorum uolumine altero repetita, ea miram experta sunt fortunam. Nam plausibilis *ὑποκριτής* uocis explicatio, quam ueteribus iam probatam nouis ille argumentis firmavit, aduersarium acerrimum inuenit Iulium Sommerbrodt, qui *ὑποκριτήν* non ab eo quod choro in certamine succedit eique respondet, sed quod poetae mentem interpretetur, nomen accepisse et sibi et aliis persuasit. Quamquam id non admodum miror in eo homine qui uel Heimsoethii incredibile commentum amplexus *ὑποκριτάς* in scholiis Euripideis promiscue et histriones et grammaticos dici potuisse statuit. At *λογογράφους* quod Curtius celeberrimo Thucydidis loco non historiae sed prosae orationis scriptores esse adfirmavit, adsentientes habuit plurimos, obloquentem quod sciam neminem. Mihi uero cum plane contraria probetur sententia, quas ob causas aliter existimandum esse arbitrer, paucis exponere haud inutile uidetur.

Thucydides quod extremo prooemio I 21 res antiquas tales existimari iubet quales ipse descripserit neque maiorem fidem iis haberi *οὔτε ὡς ποιηταὶ ὑμνηκασί περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μείζον κοσμοῦντες* — *οὔτε ὡς λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῇ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον, λογογράφους* eum historicos intellexisse totius loci sententia efficitur. Sed ea notio utrum in ipsa uoce insit an solo sententiarum nexu contineatur, non poterit iudicari nisi ex reliquo usu uel huius substantiui uel cum nemo Thucydide prior aut